

tionis, neque sensus munere fungitur, spirandi tamē facultas haud quaquam læditur, vocaturque hic affectus caros idest sopor.] Quarto de locis. Et paulò post. [Cum autem ossē quopiam terebra perforato medius ventriculus fuerit contusus, sopor hominem occupat: sed neque conuulsione, neque difficili facta spiratione; hæc syderatione, illa morbo comitiali peculiaris est; haud secus quam catalepsi soporique seruatur secundum naturam spiratio. [Vt videatur prorsus in caro non offendi spiratio. Oppositum quinto eiusdem: Ex quibus causis inuenimus cur affecto cerebro in vehemēti syderatione, cor quoque lædatur ex iisdem ipsis, secundum alium modum causam quis inueniet: quamobrem in syderatione minore, catalepsi, sopore, morbo comitiali, lethargo, animal ita affectum non pereat; namque si diligenter consideraueris inuenies per huiusmodi affectus quomodo spirent laborantes. Quippe videbis & violentam & difficilem spirationem, perinde ac si vinculo quodam constrictus thorax attolli prohiberet.] Maiorem liceat videre inconstantiam in tertio libro ubi vix duobus versiculis interpositis sententiam proferre videtur contrariam. Namque prior ita habet: [Sanè quemadmodum dormientes spirant quamuis nulla alia accedente actione quæ à consilio prodeat; nimirum cum supini iaceant in cubili; ita in soporosis affectibus omnibus quamuis neque sentiat corpus, neque moveatur, tamen sola spiratio quæ musculorum pectus mouentium munus est seruatur.] posterior huiusmodi. [Cum itaque spirationem vehementer impeditam difficulterque procedentem videris, non paruam in cerebro morbidam dispositionem esse conicere debes, idque in soporiferis morbis: quos nimirum omnes in cerebro fieri manifestum est.] Solent plerique confugere ad solutiones communes quæ sunt comparatio, homonymia.] Magnitudo, & transitus, seu mixtio. Comparatio ut si dicamus quòd in sopore difficultas adest spirandi, ita in catalepsi: Sed tamen adeò leuis in vtraque passione ut comparata syderationi seu apoplexiæ nulla videatur, sed salua spiratio prorsus & qualis dormientium. Magnitudo ut dicamus in soporibus profundis valde lædi spirationem, in mediocribus ac leuibus nequaquam. Vnde etiam ad regulam ducta hæc responsio melior ac magis elaborata videbitur, ut si quis dicat non esse læsionem spirationis ex essentia soporis, illi tamen cum inualuerit conuenire posse, imò ad eam sequi, ut sit proprium magnitudinis morbi, non morbi, quemadmodum iccoris abscessuum, tractus iuguli; quinto de locis. Has responsiones præter id quod sint ut dixi nimis communes, impediunt ipsa verba Galeni: *ὅτι δ' εἰς τὴν ἀναπνοὴν βλάπτεται*: Quod est nullam in respiratione offensam: tum illud *ἢ κατὰ φύσιν ἀναπνοὴν ἀσθενέειν*: scilicet, secundum naturam respiratione seruata. Homonymia turpis est: in eodem libro turpior, in quatuor lineis turpissima. Miscere verò aliis morbis & transitum fingere vnus in alterum, nil aliud est quam fateri se re-

sponsonem ignorare. Respondendum est igitur quòd duplex est spirandi difficultas; per se cum vitium adest instrumenti ut in his qui ex nimis acuta febre pereunt musculis exsiccat: per accidens cum sine vitio facultatis functio vitatur, ut in lethargo: Vnde Galenus tertio de difficultate spirandi docet in delirio adesse magnam & raram respirationem, non læsis tamen instrumentis respirationis. Quæ autem in syderatione contingit ex vtraque causa composita est. Vnde tertio de locis Affectis: [Cumque ex anatome didiceris nervos qui per faciei partes sparsi sunt à cerebro demitti si earum aliqua simul cum toto corpore resoluta est, haud quaquam vos latere debet resolutionis dispositionem in ipso cerebro consistere, ubi verò illæ permanserint spinalis medullæ initium affici sciendum est, accidit verò nonnullis ut faciei partes duntaxat afficiantur, quemadmodum & vna aliqua particula ut lingua, oculus, & mandibula, labrum; etenim non omnibus ab vno loco principium influit ut pote quæ ex diuersis cerebri partibus nervos suscipiunt: id quod in anatome haud obscure conspicitur. Igitur syderatio omnibus animalibus actionibus noxam inferens cerebrum affectum esse manifestè declarat. Discernetur autem affectionis magnitudo ex noxæ quam spirationi infert vehementia, cum enim naturalem ordinem plurimum excedit, magnam; cum verò paulum impediti est, paruam in cerebro noxam esse conicere oportet. Sanè omnium pessima spiratio putanda est quæ & intermittitur, & magna cum violentia trahitur sanè mori contingit syderatos ob id quòd spirare non possunt, sicuti partium immobilitas ad vitæ quidem functiones inutilem reddit hominem: non tamen breuem infert moram. Itaque vidimus quemdam qui reliquis partibus omnibus resolutis nullam quæ ad faciei partes pertineret actionem amisit, seruata etiam spiratione. Quomodo enim vivere diutius potuisset ipsa deperdita, in quo primario affici putauimus illam spinalis medullæ partem quæ paulo inferior est processu nervorum ad septum transversum tendentium. Quin etiam & vrinam, & alui sedimina ipsum præter voluntatis imperium emisisse manifestum est. Insuper vidimus alium cui propter casum omnes inferiores partes, demptis manibus, erant resolutæ. Quemadmodum autem resolutio quando in toto fit corpore faciei partibus illæsis indicat passionem in spinalis medullæ initio esse; eundem modum si toti corpori conuulsio acciderit, eundem spinalis medullæ locum affectum esse declarat, faciei partibus omnino seruatis illæsis. Si verò hæ quoque afficiantur, in cerebro noxam esse ostenditur. Vbi verò pars aliqua conuulsa est, nervum qui eius motioni deputatus est aut musculum affici necesse est. Igitur si ex anatome nervorum ad singulas partes venientium principia didiceris, melius earum & sensum & motum deperditum curabis.] Ex his clarè patet propositæ quæstionis solutio: quoniam cum in caro afficiatur cerebrum verè, nec catalepsi, nec spiratio per se læditur: cum ta-